



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

XXV. Adelbertvs I. Elector IX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

universa. Pontifice dein Paschale II. Gallias petente, & concilium Trevis celebrante, cum non comparuisset Ruthardus, ab officio suo ut tantisper abstineret iussus, literas singularis demissionis, prudentiae & obedientiae testes ad Pontificem dedit, quibus senectutem & sinistram corporis valetudinem, atque vicinam mortem non suscepti in se itineris testimonia attulit, & veniam facile impetravit, dignissimus divinis praemiis Antistes, qui contempsit humana. Mortuus est an. 1109. sedis 22. quo tempore sederunt Victor III. Urbanus II. & Paschalis II.

## XXV. ADELBERTVS I. ELECTOR IX.

**A**delbertus I. aliis Albertus, ex virorum Principum prosapia natus, Henrico V. Caesari à consiliis fuit arcanissimis, & ferè unus maximi aestimatus, cum urgerent res summi momenti Imperatorem: quare hujus potissimum auxiliis in Moguntia sedem euectus, egit & tulit fortiter plurima amicus Caesaris usque ad aram: Henricus enim V. cum parentis exemplo in Ecclesiae jura aditum sibi negatum animo ferret ægerrimo, & ferro vim jam minitaretur, quin vim jam inferret, Adelbertus constantissime stetit, pro Pontifice contra Caesarem. Verum ob hoc ipsum in furias acto Henrico in custodiam datus, triennio toto ferè ad necem usque est fame maceratus. Qualis quantusque Adelbertus fuerit, ex civium Moguntinorum fide licuit etiam metiri; cum enim Imperator an. 1112. Moguntia aliquamdiu commoratus fuisset, ab eisdem urbis confertis iisque armatis civibus tanto tempore & constantia est obsessus, ut nisi Archipraetulem suis restituisset Caesar, seditionem publicam experturus quamprimum fuisset. Conciliato demum Imperatore cum Romano Pontifice Calixto II. rediit equidem Adelbertus in gratiam Henrici, ut nihilominus procul à Jove minus timenda praevideret & vitaret fulmina, Aschaffenburgum aedificavit futurum sibi suisque asylum; cives verò Moguntia

tiae

tia ob fidem sibi constanter præstitam privilegiis variis donavit, Princeps civium amantissimus, & Pastor ovium vigilantissimus per annos sedis 28. sub Pontificibus Paschale II. Gelasio II. Calisto II. Honorio II. & Innocentio II.

### XXVI. ADELBERTVS II. ELECTOR X.

**A**delbertus II. Adelberti I. ex fratre nepos, patruipotissimum meritis adscripsit haud immerito sui in Archipræsulem Moguntia electionem. Ab Innocentio II. Romam evocatus venit hospes Italis perquam gratus. Conrado III. Cæsari modico tempore contrarius, tantum deinde placuit, ut Adelberti consiliis persuasus Palæstinam cum exercitu petere decreverit; quam expeditionem dum adornare pro viribus cœpit, conatus mors omnes elusit, rapiens annorum 3. Archipræsulem, sedente etiam tum & dolente mortem Adelberti Innocentio II. Pont.

### XXVIII. MARCOLPHVS ELECTOR XI.

**M**arcolphus Aschaffenburgensis Ecclesie Præpositus meritis suis id consecutus est, ut in Moguntia solium evocatus tuto sedere potuisset, nisi mors quamprimum fecisset periculum, quæ nimirum citius præcipitavit in tumulum Marcolphum, quam Romam missum impetravit pallium, vix unius anni Elector an. 1142. sub Innocentio II. jam mortuus.

### XXVIII. HENRICVS I. ELECTOR XII.

**H**enricus I. ex Præposito, uti sæpe vocant, majoris Ecclesie Moguntinae propter insignem virtutem magis, quam natales haud illustres, in Electorem delectus, displicuit multis ob rem, ob quam merito placere potuisset: vitia nimirum dum in sese & subditis præsertim Canonicis detestatus est ardentius, sceleris ipse per summum nefas insimulatus, & à duo-